


00  
Z

902

1. Pfaffii Dinitia subingens.
2. Eyz. dis. de praetudinib. Theologicis
3. D. de Fragmentis Irenaei Aenodoff deg. oblatione et consecratione Vetenum Durhar. adv. Paffejum
4. id. de contradictionum sum propter loquendo creditorum
5. Eyz. Oracion Academicana Alexas.
6. Josephi Brunner Oratio funeb. in Obit. Delandii.
7. Bohmer de Bonifacio Germanonim Apostolo
8. Ferkti qu. an Monibundis committi queat, usq; midem
9. Schelgutigis de concilio Gangreni.
10. Weise de aeterna vita
11. Tegli. de ordine Modoq; gradi in Convers. hort.
12. J. R. Schmidt Baptismus per arenam.
13. Eyz. Barulus-Pastoralis.

1163



MODERANTE SALVATORE GRATIOSISSIMO!

# QVÆSTIO:

AN MORIBUNDIS COMMITTI QVEAT,  
UT PRIDEM DEFUNCTIS AMICORUM SUPERSTITUM  
NOMINE SALUTEM NUNTIENT?

b. e.

Ob man denen Sterbenden einen Gruß  
an gute Freunde im ewigen Leben  
können mitgeben?

QVAM DISSERTATIONE THEOL. CIRCULARI,  
INDULTU MAXIME VENERABILIS FACULTATIS THEOLOGICÆ  
SUB UMBONE

VIRI SUMME REVERENDI ATQVE EXCELLENTISSIMI

**DN. JOHANNIS FECHTHI,**  
S. S. THEOL. D. AC ORDINIS THEOLOGICI SE-  
NIORIS LONGE CELEBERRIMI, CONSIST. DUCAL.  
MEKELB. ASSESS. GRAVISSIMI ET DIOECES.  
ROSTOCH. SUPERINT. VIGILANTISSIMI,

**DN. PATRONI ATQVE PROMOTORIS**  
STUDIORUM SUORUM OBSERVANTISSIME DEVENERANDI,  
IN INCLYTÆ ALMÆ ROSTOCH.

**AUDITORIO MAJORI,**

D. XXI. AUGUSTI, MDCCVI.

AD PLACIDAM SENTENTIARUM COLLATIONEM  
EAMQ. PUBLICAM EXPOSIT

**MICHAEL SCHILBERG, GEDAN.**

Rostochi, Typis Joh. VVeppelingi, SER. PRINC. & ACAD. TYP.



MODERNAE SILVATORES CREATIVISIMO!

# QVESTIO:

AN MORTUOS COMMUNI QVAT  
ULTIMA REHENDIT AMICORUM SABRANTIA  
IN MINUTISSIMA NUNTIA.

QVAM QVAM QVAM QVAM

QVAM QVAM

QVAM QVAM QVAM

SAB QMONE

QVAM QVAM QVAM QVAM

# DN. IOACHIMVS FECIT

QVAM QVAM QVAM

QVAM QVAM QVAM

QVAM QVAM QVAM

# IN PAKRONA TONE PROMOTORIS

QVAM QVAM QVAM

QVAM QVAM QVAM

QVAM QVAM QVAM

# AD DEDICATIONE MZIORI

QVAM QVAM QVAM

QVAM QVAM QVAM

# MICHAEL SCHERBE FIDVM

QVAM QVAM QVAM

QVAM QVAM QVAM



## QVÆSTIO:

*An moribundis committi queat, ut pridem defunctis amicorum superstítum nomine salutem nuntient?*

S. I.



Ostquam jam ex aliquo tempore de specimine qvadam Academicō fuisse sollicitus, nec satis stabilem sedem in argumentorum varietate deprehenderem, tandem provida Collectorum in Actis Maris Baltici & Septentrionis cura materiam forte non ingratam obtulit, in qva & aliquales ingenii mei facultates exercere & studiorum meorum progressus explorare possem. Scilicet laudatissimi Novorum Literariorum Scriptores tub finem mensis April. ad An. MDCC. Problema aliquod adducunt: *An moribundis committi queat, ut pridem defunctis amicorum superstítum nomine salutem nuntient?* cuius ruris, qvod vocant, Problematis amicam solutionem a viris doctis, Theologis imprimis, petunt. Non quidem ejus sum arrogantiæ, ut me Theologorum lateri junctum velim, utpote qui vel à limine saltēm sacratoris Thelogiæ penetralia salutavi, qviqve indies in auditorum subselliis, solidioris Theosophiæ hauriendæ causa, confideo. Interim firmiter persvasum habeo, non facile qvenquam me temeritatis accusaturum, si in aliquantum penitus considerando hoc Problemate operam collocaverim, prasertim cum ad amussum sacrarum literarum negotium

A 2

tionum

tium hoc expendere animus sit. Opus ergò Theologiz studie-  
 so omnino conveniens, adeoque non contemnendum me factu-  
 rum certò certius confido, siquidem Paulus in Timotheo qvām  
 maximè laudat, qvod διπλός Θεοφύσης τὰ ιερά χερματα tractaverit,  
 2. Tim. III, 15. Ne tamen infirmo meo iudicio nimium favere  
 videret, communicato rem consilio agere & simul Summè Re-  
 ver. Dn. PRÆSIDIS, Patroni atque Praeceptoris omni filiali ob-  
 servantia devenerandi, solidioribus rationibus in difficultate hac, nec  
 alias facile obvia materia, uti, Ejusdemque ductum cum infir-  
 mius dissertationis robur & autoramentum, tūm in feliciorem  
 suscepit negotii successum, seqvi volui. Placet verò cùm in ve-  
 stibulo præsentis thematis adhuc constitutus sim, nonnulla circa  
 titulum argumenti propositi, quando nimur Novorum Col-  
 lectores *Curiosum* illud Problema vocant, præmonere, at hinc  
 inoffensio pede, qvod rei caput est, aggredi queam. Dicitur igit-  
 tur Problema hoc *curiosum*, non in eo significatu, quasi vana qua-  
 piam curiositate ea inqvirenda sint, quæ nostra nihil interest,  
 qvod aliena curandi studium Graci φίλοι πολυπογυμ-  
 οντων, Latini dulcem titillationem, Germani einen Vorwürf no-  
 minant; dum enim quid in domo cœlesti inter sanctos ejus in-  
 colas agatur, disquirimus, cavendum est, ne oggeratur illud An-  
 tonini Pii Imperatoris: *In aedes veniens alienas, rucus aut mutus esto.*  
 Sed curiosum bono sensu appellatur, qvod sollicitate in veritatem  
 inqvirit, eaque summo studio & singulari adhibita diligentia in-  
 dagat, qvorum inveniendi copia est. Quō sensu M. Antoninum  
 Philosophum Capitolinus laudat *Erat, ait, fama sue curiosissimus*  
*& requirens ad verum, qvid quisque de se diceret, emendans, que bene*  
*reprobensa viderentur.* Quid qvod ipsa Scriptura S. nobis statum  
 & felicitatem cœlestium incolatum tam sollicitè & curiosè de-  
 scribat, ut ipsa hac tam svavi amplaque delineatione ad consor-  
 tum eorum ambiendum nos inflammet; qvidni ergò & mihi  
 licet φίλοι πολυπογυμνων & interius introspicere atque perquirere,  
 qvid agant, qvid loquantur, qvid cogitent beati? Præsertim cum  
 id facturus sim, ut jam monui, non nisi duce & luce Scriptura S.  
 cuius omne scrutinium laudabile, imò mandatum nobis est. Joh.  
 V, 39. Id faktem ex nostrarium potissimum Theologorum con-  
 stanti

stanti sententia suppono, Scripturæ non tantum id esse, quod in litera illa complectitur, sed & quod in virtute, cœ & olim jam Origenes Proœm. περὶ τοῦ docuit, ejusdem valoris esse sententias, quas quis in Scriptura invenerit, vel quas ex consequentia ipsius indagine ac recti tenore repererit. Tu autem ô sanctissimum Numen, sanctifica nos in veritatetu, verbum tuum est veritas !

## §. II.

Jam quod felix faustumque sit, Problema propositum modestæ considerationi Theologicæ erit subjiciendum. In quæstione ipsa, an moribundis committi queat, ut pridem defunctis amicorum superstitione nomine salutem nuntient? prolixiorum vocabulorum evolutionem instituere, merito supersedeo. Cum enim verba ferè omnia ita luce sua radient, ut expositione nulla indigeant, ultrò intelligitur, quæri de eo, quid moribundis committi queat non quidem simpliciter & absolutè, sed restrictè & certo respectu, quid nimirum salva conscientia ex Scriptura rectè informata fieri possit? quid salva fidei nostræ analogia hoc in passu admittendum, ne quidpiam fortè afferatur, quod reliquis fidei dogmatibus sit adversum, quod Pontificiorum superstitioni de sanctis demortuis & idolatriæ promovendæ quomodocunque patrocinetur; quod lædat saniorem doctrinam in Libris Symbol. propositam & à Theologis nostris quodam consensu receptam, vel alia quavis ratione offensionem pariat, à quibus omnibus omnino consideratum sacrorum scrutatorum longè alienum esse oportet, ne vel propriæ vel aliorum conscientiæ intolerabile imponat onus.

## §. III.

His rite præmissis circa Phraseologiam quæstionis propositæ paulum hærebitimus. Quandoquidem enim formula illa loquendi: *salutem nuntiare, salvare jubere*, variis modis intelligi posse videatur, non immerito quæritur, quem hoc loco phrasis isthac importet significatum? Primo quidem & nominis ipsius virtute & ejusdem ufo atque loquentium intentione, salutem nuntiare nihil aliud denotat, quam salutem apprecessari. Sic cum absentes salutamus, nihil aliud volumus, quam quod ipsis quicquid bonum, felix, fortunatumque est, apprecessemur. Unde &

nonnumquam salutationem circumscribimus per id genus Synonyma, salutem plurimam apprecari, valere jubere, quicquid est felicitatis exoptare, einem alle erfürliche Prosperitatem, allen gedeutlichen Wohlstand anwünschen/ & quæ his similia sunt. Hac ratione Apostoli in Epistolis suis passim alios salutarunt, quod tamen ipsi nonnunquam exponunt per *bene facere ubique & omni modo*, & per *Dominus vobiscum*, 2. Thes. III, 16. 17. In aliis autem epistolis loco salutationis varia annexuntur vota, ut inde pateat, vota illa cum salutatione proximè coincidere. Quod spectare videtur Germanorum satis consuetum ad obvios quandoque dictio, Gott grußt euch. Negari tamen nequit, interdum etiam *to salute*, ut & Græcum *dōmīzēi* nihil aliud esse, quam amorem, memoriam, honorem, reverentiam testari. Ita Gentiles apud Cic. Orat. 2. pro Rosc. Amer. salutabant Deos suos, quam phrasin Lucianus alicubi sic exprimit: *Eminus stabant, ac ne ore profano Deos tangenter, manum ori admovebant, ac faviabantur.* Eodemque sensu Cicero alibi in Pisonem: *Quis te honore, quis denique communi salutatione dignum putet?* Similis quamvis diverso sensu gaudens locutio est, qua *in alterius salutem bibere* dicimur, id enim pariter prima sua impositione notat, pro alterius salute vota effundere, idque bibendo testari. Et tamen nonnunquam tantum honoris significatio est & amicæ recordationis. Quo sensu quoque in Svecia olim, ut fama fert, potissimum in Scandia, Hallandia, itemque Bleckingia rustici in DEI salutem bibebant, i. e. reverentiam ei suam & gratum animum pro potus beneficio declarabant. Nec quicquam frequentius est, quam ut in singulis propemodum conviviis aut symposiis cùm in præsentium, tūm in absentium salutem bibamus, h. e. non tantum vota iis exsolvamus, sed & eorum memoriam nominumque reverentiam hilari-tatis & honoris potu celebremus. Ultimus hic salutandi modus animabus beatæ defunctorum apprimè videtur conveniens, si nempe superstites nominis sui memoriam affectumque erga cœlitates invariatum pia quadam salutatione contestentur.

## §. IV.

Porrò salutem alicui appreendi denuo triplici modo dici videtur. Ita namque (i) apprecamur alteri eam salutem, qua pro

pro tempore destituitur, quando videlicet ægris & cum adversa  
fortuna luctantibus feliciorem rerum statum exoptamus. (2.)  
Nihil frequentius est, quām salutis continuationem aliis appre-  
cari, quod sit vel in quotidianis salutationibus, vel etiam si ex lan-  
gvore quopiam reconvaluerimus. Denique (3.) salutis vove-  
mus augmentationem. De sanctis cœlitibus prius dici planè  
nequit, illi enim jam sunt constituti in salute illa consummata &  
nunquam terminabili. Quamvis enim animabus sanctorum  
fructio DEI consummata secundum quid saltem competit, abso-  
luta quippe salus demum est totius compositi post animæ redun-  
tionem, ut loquitur Königius Theol. Pos. p. 61. animæ tamen  
superstites nulli amplius sunt obnoxiae defectibilitati ; abest  
enim ab iis peccatum, Apoc. XXI, 27. abest causa peccati, nem-  
pe caro irritans, Rom. VII, 24. & Diabolus sugerens, R.XVI,  
20. abest poena peccati, utpote calamitates varia, mors tempo-  
ralis, mors æterna, immunitas ab affectionibus & actionibus cor-  
poris animalis, quā talis, ut sunt tames, fitis, esus, potus, aliaque.  
Add. Ef. XXXV, 10. c. LXV, 19. Joh. XVI, 22. Quibus præ-  
suppositis vi oppositorum sequitur, animas beatorum potius in  
salute præsentissima versari, adeoque ad hunc modum salutem  
nos iis apprecari non posse, ut scilicet iis exoptemus salutem  
ipsum, quoad se & essentialiter consideratam, qua pro tempore  
ratione sui desituantur. Fundamentum asserti nititur clarissi-  
mo scripture oraculo Apoc. XIV, 13. *Beati demortui in Domino  
æterni.* Exinde ultius jam dispalcit, nec alterum salutandi  
morem locum hic proprie loquendo invenire. Quando enim  
continuationem alicujus rei alteri appreciamur, saltem supponi-  
mus, eandem iterum amitti posse ; salutis autem & beatitudinis  
jacturam facere non possunt beati, quia ex Ecclesiæ nostræ do-  
ctrina, quod ex modo dictis satis liquet, peccare amplius ne-  
queunt. Quid quod animæ defunctorum dicantur immortales :  
qua voce in primis Philosophia actualis animæ perennitatem, per-  
petuumque ejus usum notant ; unde in Pneumaticis & immor-  
tale cum immutabili, incorruptibili, inannihabili, perenni s. sem-  
piterno ac æviterno, cum quibus videlicet non exigua habet  
convenientiam, haud raro permutant. Conf. Donati Pneumat.

scđ.

ſect. 3. de Ψυχολογίᾳ c. 3 ſ. 5. & 8. Remanet igitur, ſi salutando coelites ſalutem ipſis apprecaſi velimus, propriè ſalutis augmentum quoad gradus coeleſtis gloriae iisdem exoptari. Quod equidem vocis noſtriſ pro mortuiſ ad DEum effuliſi, ſi ſalutis æternæ ſint participeſ, fieri poſſe, indubitatum eſſe videtur. Pioſ equidem Veteres variis aliis etiam modiſ pro commode & utilitate beatorum oraffe ex antiquitatiſ teſtimoniō abunde edoce- mur. Ita namque orabant pro bono, quod jam actu poſſidere beatoſ perſuadi fuerant. Orabant pro animabuſ beatè deſunctorum, quando earundem corporibuſ, que multifariam turbari po- reſtant, imperturbatam requiem, ixtamque reſurrecționem, quam expeſtabant, apprecaabantur. Orabant, ne in extremo judicio rigorem diuini examiniſi juſtoſum animaſ ſubirent, induci exempli Pauli 2. Tim. I. 18. Denique etiam cum poſt iſipsum diem extreum major animabuſ beatorum perfectio accedat, quando corporibuſ ſuis junc̄ta plenifimo gaudio perſtrucentur, orabant, ut in illo die integer homo coeleſti gloria totus illuſtraretur. Praeclarè admodum hæc ex iſipſus antiquitatiſ viſceribus eruit Veneranduſ Praeſes meus in diſſert. de Oblationib. Veterum pro Sanctis §. 20. t. p. 116. ſqq. Illud unicè addo, cum ultimo hoc Veterum pro animabuſ precanſ more quam optimè & illum conſiſtere poſſe, quando nempe gradus coeleſtis gloriae beatè de- fundiſ exoptantur. Notiſſimum quippe eſt, omnes in Christo demortuoſ una eademque numero eſſentiali ſalute beatum iri, & tamen hujus ſalutis quoad gloriae gradus diſſerentiam quan- dam fore. Antiquiſſimam hanc Eccleſia doctriṇam ex Dan. XII. 3. Pauluſ Corinthiis ſuis in memoriam revocat, 1. Cor. XV. 40. 41. 42. vid. B. Schomer, ad h. l. Quod ſi ergo ſuperſtitioſi ſuis ad coe- lum delatiſ amicis majorem olim gloriae perfectionem exoptent, faciunt id, ad quod pio affectu vel ex natura eſtinctu pertra- huntur; Amor enim pariter ut & natura ſemper intendunt per- fectioniſ.

## §. V.

Preliminariter hæc circa Phraseologiam propositæ que- ſtionis adduxiſſe ſufficiet. Nunc igitur, ut opinor, eò facilius, quod praefens eſt negotiuſ, argumenti nempe tractationem ipsam

ipsam exordiemur. Nec enim quicquam nos detinebit illa thesis, utrum etiam animæ defunctorum immortales sint & post hanc vitam maneant superstites? Siquidem quæstio hæc ne quidem à moratoriis gentibus, multo minus autem à Christianis ex S. Scriptura sufficienter informatis unquam in dubium vocata fuit. Quod enim Gentiles animæ immortalitatem crediderint, ex Cic. & Claudiani testimonis delucidè probat DN. Præses noster in Schediasm. Exerc. I. §. 53. Hinc & nonnulli animas post mortem cœlo adscriperunt, quando nempe Elysios campos, quos in ipso coeli meditullio hædere autumabant, effigiarunt, ad quos defunctorum animas deferri certò certius crediderunt. Quin & Mornæus Libr. de verit. relig. Christian. c. XV. toto, ad consensum antiquorum sapientum & omnium gentium provocat, ostendendo, omnes in quæstionis affirmativam, licet diversissimis sententiis, consenserint, animæque immortalitatem uno quasi ore fuisse professos. Et notatu omnino dignum est, quod pientissimus Scriverius in seinem Seelen-Schätz part. I. conc. 2. von der Seele Unsterbligkeit ex quibusdam Scriptoribus de Germanorum vetustissimis antecessoribus narrat, eos nempe cum immortalitatem animæ ex Druidis suis didicissent, interdum epistolas quasdam ad dudum demortuos igni, quo recens defuncti erant comburendi, immisisse, rati, easdem ad olim defunctos omnium certissimè delatum & ab iisdem lectum iti. Neque etiam litem jam illis movebimus, qui animas demortuorum ad certum tempus in specubus fortè subterraneis, aut alibi dormire, non sine maxima offensione docuerunt. Cum enim controversiæ hæc pluresve tales, quas nonnulli etiam Arminiani circa hanc materiam negant, dudum jam explozæ sint, eas omnes tanquam vanas & prorsus supervacaneas omittimus & potius Scripturæ S. ductum secuti, animas defunctorum statim post mortem vel in cœlum, vel etiam in infernum venire, firmiter persuasi sumus. Deinde & hoc supponimus, animas defunctorum manere intelligentes, ita quidem, ut aequaliter intelligent citra sensuum ministerium ac sine phantasmatibus, utrobique tamen apprehendendo, enunciando & discurrendo; hac ratione enim cognoscunt non tantum ea, quæ in hæc vitæ cognörint, quod probat desiderium ani-

mæ reduniendi se cum suo corpore; sed etiam intimius jam nōrunt DEUM, angelos, animasque alias. Vid Donat. in Pnevmat. p. 503, 504. Quæ omnia cùm nobis quidem extra controversiam posita sint, ad Problema nostrum revertentes, speciatim beatis defunctorum animabus superstitum nomine salutem nuntiari posse, affirmamus, ita quidem, ut salutando cœlites iisdem commemoratione tantè nostram & amoris erga illos constantiam, cœu jam præmonuimus, contestemur. Ut verò quid de hac quæstione ulterius sentiendum sit, eò melius dijudicari possit, alia nonnulla in antecessum discutienda erunt, quorum & doctissimi Novorum autores ex parte faciunt mentionem. Ordine nimur dispiciemus, utrum defunctorum fidelium animæ uno eodemque continueantur receptaculo? An (hoc concessio) sese internoscere & animi sui sensa sibi invicem communicare possint? Utrum corpore dudum solutæ præter reminiscientiam amicorum in his terris superstitum, eorum quoque curam gerant & avidæ sint, ut ipsorum fata resuscitant? Imò, an inter animas separatas, eodem quo apud nos solet modo, de amicis sermones misceantur? Hæc & plura talia brevissimis pro chartæ ipatio contemplabimur, ut inde eò commodius de quæstionis affirmativa judicium ferri possit.

## S. VI.

Primo itaque omnium si salutationem tuam ad amicos in coelo degentes dirigere velis, scire necesse est, utrum omnes beati uno in receptaculo, tanquam grandi aliqua domo, vel altero horto paradisiaco habitent? Id enim nisi sit, & si diversis recipiantur locis, quæ inter communicatio nulla sit, & que inconvenienter salutem amico tuo nunciabis ac illa mulier Svecica, epistolam suam ad maritum in Germania militantem directura, putans Germaniam unam magnam urbem esse, eandem inscripsit: *Dilectissimo meo marito in Germania.* Aut si in Galliam ad amicum scripturus, ignarus, quo loco & in qua urbe ille veretur, epistolam destines Lutetias, cùm ille Divioduni degat. Ita verò circa hanc quæstionem placet progredi, ut statim in frontispicio ea, quæ forte contraria apparent, paulò curatius introspiciamus, postea autem ex clarioribus Scripturæ testimoniis affirmantem hujus theses

fen.

sententiam tueamur. Omitto quorundam hypothesis de qua-  
 tor animarum receptaculis, cœlo nempe perfectè beatorum,  
 paradiſo eorum, qui resuſcitati cum Chriſto per mille annos re-  
 gnaturi ſunt, inferno damnatorum, & περὶ eorum, qui primæ re-  
 ſurrectionis participes non ſunt, nec tamen ad infernum pervene-  
 runt, ſed diem judicij adhuc expectant. Quam novellam fabri-  
 cam compendiosè quidem, invictissimis tamen argumentis re-  
 tundit Novatorum Malleus, undiquaque celeberrimus, DN. D.  
 Schelgyigius, Praeceptor ac Promotor ſtudiorum meorum ad-  
 modum Venerabilis, in Synopſi ſua artic. 34. quæſt. i. 2. Ex inſti-  
 tuto verò de ſtatu medio agit maximè Rev. DN. D. Grapius in  
 diſsert. ſua inaug. ſubleq. 1. & 2. p. t. Ad illud potius dubium me  
 confero, quod nonnulli ex illo Chriſti colligunt, Joh. XIV, 2.  
*In domo Patris mei multæ manſiones ſunt.* Ita enī Origenes homil. 27.  
 in Num. infert: *Sanctos poſt reſurrectionem non ſtatiſ elevandoſ ad*  
*Dei viſionem, ſed per multas illuminationium ascensiones gradatim ad Dei*  
*intuitum deducendoſ, quia in domo Dei manſiones multæ ſint, in qua ſan-*  
*ctis à Chriſto locus parandus.* Mirabitur forte quis, Origēnem  
 adeo hoc in loco proprietati literæ inhārere, qui alia neglecta li-  
 tera ubique ferè non ſine graviflma Scripturæ detorsione allego-  
 rias fuerat ſectatus. Nos brevibus ad datam objec̄tionem hac re-  
 ponimus: Ut ut in litera dulcissimus Salvator de multis manſioni-  
 bus localibus loqui videatur, ſenſum tamen myſticum eſſe in ipſis  
 rebus, per verba ſenſu literali denotatis; namque hoc loco Chriſ-  
 tuſ per quandam σογνατιθεσιν gloriam regni coeleſtis deſcribit,  
 ejusque tūm amplitudinem, tūm diverſitatem innuit, metaphorā  
 à ſeculi noſtri conditione deſumta, imprimis à ſpecioſiſſimiſ mu-  
 ndi hujus palatiis, certis ſuis conclavebus ac habitaculis diſtinctis,  
 non quod iſtiusmodi corporalia habitacula ibi futura ſint, diuiſis  
 ſpatiis, peculiariibusque coenaculais: fed ut incomprehenſibilis  
 myſteriorum regni coeleſtis ſublimitas aliquo nobis modo verbiſ  
 hujus feculi adumbrari poſſit, quæ tamen omnia non ex conditio-  
 ne rerum terreftrium aſtimanda, ſed juxta rationem vitæ alterius  
 penſiculanda. Præterea elegantissima eſt Interpretum ad h. l.  
 obſervatio, diſferre μονάς & τόπον. Tόπον enim eſſe locum ad  
 manendum ſi habitandum idoneum, μονήν verò manſionem in

habitatione ipsa notare. Conf. etiam in h. l. v. 23. Vid. Nisan.  
 ad Joh. Origeniana insuper sententia, quæ locum substratum de  
 localibus mansionibus explicat, necesse habet & sellas & mensas  
 & cibum & potum ex Luc. XXII, 30. cœlo inferre, quod tamen  
 prorsus est inconveniens, crudas ejusmodi & prorsus profanas, ne  
 dicam impias, de coelestibus formare exegeses, quandoquidem  
*regnum Dei non est cibus & porus*, teste Paulo R. XIV, 17. Quid  
 quod & iis, qui vel primis labris degustarunt verbum Dei, notissi-  
 mum sit Theologorum axioma: *Multa in scripturis dici ad modum humanum, qua verò ad modum divinum sint intelligenda.* Omni-  
 um ergo commodissime præsens Salvatoris locutio, xque ac illa,  
 quæ est apud Lucam, velut allegorica exponitur. Conf. præter  
 Nisan, etiam B. Hunn. Calov. itemque Erasm. Schmid. ad h. l.  
 Posito autem, non concessio, dari in cœlo plures ejusmodi man-  
 siones locales, hoc tamen nihil obstaret, quò minus de habitaculo  
 uno in aliud habitaculum concedere & cum illius incolis con-  
 ferre possint beati. Si enim verissimum est, animam dum adhuc  
 est unita corpori, posse pro lubitu & se & simul suum corpus, quo-  
 rum est induta, è loco in locum transferre, poterit omnino tanto  
 magis in statu separationis se solam, ceu mole corporis solutam,  
 mouere. Et profectò nisi valerer anima in statu separationis pro  
 arbitrio ad instar angeli variare suum ubi, longè tunc imperfectior  
 brutis, quippe potestatem in terris sese movendi habentibus, fo-  
 ret; quin privata quoque si non ex toto, saltem maximam par-  
 tem sua libertate, qua olim gaudebat, dum adhuc corpori hære-  
 ret; ad hæc interclusa planè usu confortii cum coeteris anima-  
 bus atque angelis arbitrario eslet. Egregie ita philosophatur  
 Donati in Pnev. p. 506. Quibus jam rationes Theologicas in  
 tanto majus assertionis robur adjicimus. Scriptura enim nimus  
 clarè cœlum beatorum tanquam unum locum describit, in quem  
 tanquam in civitatem unam. Hebr. XII, 22. Hierosolymam  
 unam, Gal. IV, 26. domum unam, Joh. XIV, 2. habitationem  
 unam, 2. Cor. V, 1. paradisum unum, Luc. XXIII, 48, recipiantur  
 beati. Quanquam enim hæc secundum literam capi non possint,  
 hoc tamen in ipsa metaphora s. figura omnia ista enuntiant, fore  
 coelestes incolas in una communione, una Politia & Republica,  
Phil.

Phil. III, 20. non minus coniunctos & secum invicem conversantes, quām qui degunt in una domo, una urbe, uno horto, una habitatione, in qua sīt *uocat*, *mansiones* communes. Et quanquā etiam aliquando terra una, patria una, quā plures urbes & provincias in se complecti potest, vocetur, id tamen multitudinem tantum civium cœlestium & spatium tot myriadibus capiendis idoneum insinuat, & hēc ipsa denominatio quoque communio-nem notat. Ut enim apud nos in una quanquam spatiola provincia communio tamen est jurium, privilegiorum, epistolarum, conversationum, etiam nonnunquam in remotissima loca provinciæ; ita in cœlo ob incolarum subtilitatem, agilitatem & spiritualitatem, de quibus dotibus, quia Spiritus sunt, ne dubitari quidem potest, longè major, facilior, frequentior erit communio.

S. VII.

Pater jam ex superioribus, ipsius loci, in quo vixi sunt Cœlites, statum & conditionem non obesse, quin, coeteris paribus, deterri ad eos nunciatio quāpiam aliunde possit. Quemadmodum in hoc Orbe nihil obest, quō minus literæ aut nuntius ad aliquem in quantumlibet grandi urbe absentem, possint mitti, ad eundemque aliquid deferri. Sed jam ulterius explorandum est, quo pacto ea anima, cui, qui in hac vita superstites sunt, aliquid Cœlitibus nuntiandum commiserunt, in notitiam illorum ipsum Cœlitum, si in coelestem illam civitatem devenerit, penetrare & adeò, quod ei demandatum est, exequi possit? An quæ anima in cœlo, tanquam in portu, post enavigatum hujus vite mare appellit, statim omnes cœlites, non aliter ac ejusdem familie consortes, cognoscat? An ab aliis in cœlo animabut, aut angelis etiā, ubi animam illam, ad quam nuntium salutis habet, offendat, refiscere possit? An possit in familiari cum Deo colloquio id indagare? An ipsa celeritate & subtilitate sua inter Cœlites omnes divagari & animam illam, ad quam ablegata est, exquirere possit & observare? An & quo indicio anima animam, cuius corpus tantum in hac vita ex facie exteriori & carnis in oculos incurrit lineamentis cognitum ipsi fuit, cessante in cœlo omni externa specie, dignoscere possit? Hæc enim omnia singulaq[ue] expedienda ante liquidò sunt, quām de quæstione ipsa pronunciarī possit.

B 3

S. VIII.

Et quidem quod beati in cœlo omnes reliquos concives  
 suos cognituri sint, omnium maximè affirmant Pontificii, quorum  
 plerique speculum aliquod in DEO fingunt, in quo animæ beatō-  
 rum omnia videant & cognoscant, quæ in his terris, quæque in  
 cœlo agantur. Enimvero quām lubrico fundamento speculum  
 hoc nitatur, haud oblitus quisvis primo statim intuitu dijudicare  
 poterit. Ut enim taceam specularem DEI visionem potius esse  
 hujus seculi, hic enim *videmus per speculum in anigmate*, inquit Apo-  
 stolus i. Cor. XIII. 12. ergo, cum speculum hoc Scripturæ phrasē  
 sit nota imperfectionis, statui beatorum neutiquam erit conve-  
 niens. In altero enim seculo intuitiva DEI visio locum habet,  
 ubi videbimus DEUM θεόσανον ἀρχής αρχόντανον. Nec video,  
 quodnam commodum ex hoc speculo, in coelites resultet? Ne-  
 que enim inde omniscientiam eorum unquam adversarii statumi-  
 nabunt, siquidem ex ipsis Pontificiis nonnulli probant, *beatos*  
*Deum non esse comprehensuros*, quippe quod eorum capacitatē repu-  
 gnet, *sed sicutem apprehensuros*. Testimonium ex Thoma hanc in  
 rem affert B. Gerh. Loc. de Morte §. 324. Nos ita cum D. Gēt-  
 hardo argumentamur: Aut animæ beatorum in hoc speculo vi-  
 dent omnia, præterita, præsentia, futura, aut aliqua tantum. Prius  
 contrasentientes affirmare nequeunt, beatæ enim animæ non vi-  
 dent diem extremum, Marc. XIII. 32. Unde ipse Bellarminus  
 scribit, *beatos in hoc speculo ea tantum videre, qua ad ipsos aliquo modo*  
*pertinent*. Ergo posterius verum est, quod aliqua duntaxat in  
 speculo illo vísuri sint. Id verò si affirmaverint, quo argumen-  
 to probabitur, in speculo illo vísuros esse omnes reliquos conci-  
 ves suos, eosque per ipsum speculum agnituros? Vitiosa enim à  
 particulari consequentia erit, si ita colligere velis: quædam vi-  
 debunt in speculo: ergo & concives suos univerlos videbunt.  
 Sed verò hoc speculum à Theologis nostris ita detritum jam diu  
 & confraictum est, ut inanem insumeret operam, qui in illo refel-  
 lendo occuparetur. Ut nullib[us] minus illa beatorum ad invicem  
 notitia quām in hoc speculo - præsidium inveniat. Videantur  
 interea B. D. Varenius Comment. ad El. LXIII. 16. D. Busman-  
 nus de religiolo cultu Sanctorum. Vossius in Dispp. Theol. D.  
 Dreierus

Dreierus in Controv. Pontific. D. Hildebrandus de invocatione Sanctorum. Wilckius disput. inaug. de deprecationibus. D. Wandalinus de statu animarum separatarum. DN. D. Fabricius disp. inaug. de recordatione animæ post fata superstis.

## S. IX.

Quod si nostrates Theologos circumspiciamus, negari non potest, communiorum videri opinionem, beatos utique in altera vita per ipsam gloriae possessionem sese invicem, citra ullum externum adipiscendæ hujus notitiae adminiculum esse agnitos. Quam & argumentis nequaquam contemnendis comprobare satagunt; Utpote quod Elias & Moses in monte Tabor, a Jacobo, Petro & Johanne illicet, cum apparuissent, fuerint agiti. Quod & epulo Abrahamum Lazarumque in sinu Abrahæ, sicut & hi epulonem in inferno agnoverint. Quod martyres sub altari quiescentes concordi animorum coniunctione pro vindicta sua ad DEum clamaverint; tum denique quod beati olim *τοιχεῖοι* futuri sint, qui nullo impedimento prohibeantur, quod minus sese invicem cognoscant. Ita D. Gerhardus, Brochmandus, Jac. Martini, D. Bayerus, qui in Compendio: *socios beatitudinis*, ait, *caelites perfecti & clare cognituri sunt*; in eademque sententiam & Chyträum & Hunnum & Hutterum allegat. Pari prorsus modo celebratissimus pariter meritissimusque Theologus, D. Wegnerus, in Haegote: *Cognoscunt se omnino mutuo beati, ita ut omnes omnibus & singulis singulis futuri sint notissimi*. Quæ si indubitate esset sententia, prima questio citra negotium esset soluta. Sunt tamen qui hanc tamē agnitionem non tanta confidantia sed probabilibus tantum argumentis asseri posse existimant. D. Weinmannus in Compendio: *piè credimus*, ait; quæ locutio vulgo persuationem animi notat, non immotis fundamentis innixam, tamen scripturæ non aperte adversam. D. Scherzerus in System. *probabile est*, inquit, *esse beatorum singulorum mutuam & distinctam cognitionem*. Gravissimus hodiè Danie Theologus, D. Wandalinus, Tractatu de statu animarum separatarum doctissimo, posse de hac questione in utramque partem disputari, cum non habeamus expressas scripturas, non sine causa, ut mihi quidem videtur, decernit. Quod si Apostolis in Taboritica apparitione citra

teve.



revelationem, ab ipso Christo, quod omnino probabile est, aut aliunde iisdem factam, (de quo Theologus, eruditiois meritorumque in Ecclesiam fama illustris, D. MAYERUS, Præceptor meus incomparabilis, in Dissert. select. 2da, §. XI. Si quis ait, malit ex nominum & collocutoribus ulro citroque facta appellatione discipulos agnoscere illos, aut ex speciali Spiritus S. revelatione, nulli repugnamus) statim cogniti fuerint Moses & Elias, extraordinarium id proflus fuerit, necesse est, cum Apostoli cum nondum in gloria extinerint, quod εξ ἀνθρώπων esse videtur, atque adeò nec argumentum ad gloriæ conditionem præbere possit. De epulone & Abrahamo paulo post occasio nobis dicendi præbebitur, statim que ex nuda hujus historiæ recensione apprehenditur, si quid inde pro mutua beatorum inter se agnitione concludatur, eandem perfectionem non minus damnatis, adscribendam esse, quod quam inconveniens sit, cum quicquid in hac vita perfectionis habuerint, per mortem secundam amittant potius, quam ut ei pondus & augmentum addant, ex se intelligitur. Porro animæ sub altaribus impropriè contineri, cum earum corpora duntaxat sub iisdem jaceant & clamare ad DEum non aliter dicantur, quam quod pacto sanguis Abelis ad DEum clamare, sine omni sui & aliorum notitia, de terra dicitur, in confessio apud omnes est. Et cum animas intelligi dixeris, illæ quoque omnes magno confensi ad DEum pro ultione sua clamare intelligi possint, non obstante, quod se se invicem neque videant, neque cognoscant. Denique cum nec angeli omnia sciant & vel se omnes, vel homines omnes internoscant, cum in eorum, ad quos mittuntur, notitiam vel DEO revelante, vel ex quotidiana conversatione deveniant, neque hanc ιστορια firmum hujus agnitionis argumentum præbere rem rectius expediti videbitur. Quicquid denique hujus sit, cum notitiam illam neque negare præfracte, neque assertere apodictice velimus, si tamen ea dubia sit, id nequaquam impedit, quod minus beatus in celos accedens beatum ibi viventem alia ratione resuscitere possit & negotium ibi commissum expedire, cœu ex frequentibus clarissime elucescet.

## §. X.

Cum ex iis argumentis, quibus vulgo probari solet, beatos

atos in vitâ xterna se invicem cognituros esse, id quod ab exemplo epulonis, Luc, XVI. deducitur, qui & Lazarum & Abraham agnovit, dum in flaminis infernalibus existeret, quanto magis inquietum beati semetipsos agnoscent, non postremum sit; quid de hoc loco haberi debeat, an vera sit historia, an parabola, an aliquid ex utroque mixtum? Et si vel aliqua sui parte probala sit, vel tota, cujus roboris argumenta inde deponi possint, cum Theologia Parabolica, extra tertium, de quo quæstio est, non sit argumentativa, necessarium erit aliquantum clarius dispicere. Hammondus meram vocat parabolam, ex Talmude quippe à Christo repititam. Lyserus in Harmon. ait, semper disputatum esse, an sit historia, an parabola? Sed nihil referre, sive sit historia sive parabola, modò dextrè explicitur & reætè applicetur. Hulsemanus in Manuali A. C. partem illam, quæ colloquium epulonis cum Abrahamo continet, meram parabolam esse dicit, & plurimos Patres & Pontificios hanc in rem secum consentientes adducit. Erasini Schmidii ad h. l. verba hæc sunt: *Neque enim Tantali fabula, aut somnio Scipionis equiparamus hanc relationem, ut religiosissimus Mattheus loquitur, neque allegoriam aut parabolam inde facimus, ille quodam de flamma, de lingua anima epulonia, de digito anima Lazari & similia allegoricè & parabolicè dicit a videantur, cum non infreqvens sit, ut etiam de vero facto sermonibus allegorici & ad cæptum audiendum accommodata utramur.* Flacius in Glossa disjunctivæ *Parabolam aut exemplum, cuius indicium sit nomen Lazari expressum, esse ait.* De specialibus autem sub finem parabolæ occurrentibus, addit: *Docendi causa exprimitur figuris sub sensum nostrum cadentibus, & veluti hypotyposi quedam ac per dialogismum extrema damnatorum miseria, qui & summe cruciantur & nullam plane habent liberationis spem. Non enim hac plane si gesta sunt, nec damnati colloquia miserent cum beatis, neque anime os aut digitum habent, neque eis aqua nostra mederi queat, etiam si totum Rhenum in eorum os effunderes.* Sed hec talia dicta sunt, quæ eorum sorti convenient, eamq; exprimant. At temperat igitur se Christus ad nostrum captum, hoc ita proponendo. D. Dannh. in Memoriali Evangelico: obs eine Historie oder Parabel, oder halb Historie, halb Parabel, oder nur hypotyposis, (τορύτων Polus ad h. l. elegantissime describit per narrationem, qua eloquentia magis

magistrorum veram coloribus verisimilibus depinguntur. Narrant autem non tantum que facta sunt, sed & quae dici aut fieri potuisse probabiliter creditur. Inde quae in Scriptura de statu post hanc vitam dicuntur, omnia figuris expressis ad exemplum vita mortalis depinguntur.) wie autor orthodoxorum quaestionum davor hält/ daß lassen wir uns ungefähr get und unerörtert darum beschwirren wir uns nicht/ als woran nicht viel gelegen. Ita etiam clarissimus quondam Sundensis Superintendent D. Friedlibius in Harmon. Evang. ad h. l. Parabola conditio attendenda est: quædam enim p. gr. dives erat in inferno inferiori, Lazarus in superiori loco &c. adduntur, ut narratio sibi constet; quomodo & reliqua de Abramini colloquio, aqua desiderio valent, licet illa gesta non sint. Citatque Raynoldi prælectiones. Evidem non parum hac in restum esse videtur scire, cum omnium confessione omnia singulaque historicæ & secundum literam intelligi nequeant, quæ parabolicas sint, quippe ex quibus argumenta nulla extra tertium comparationis deponi possunt, quænam vero historicæ, quippe quæ fidem in ipsa litera fundant. Verum nostra quidem dubitationi, ex hoc Luca loco deducit, solvenda necesse non est, utrum quæ locutionis genus determinare, cum certum sit apud omnes, saltem ea parabolica aut hypotyposin quandam esse, quæ Abramini cum epulone colloquium concernunt. Quod si verum est, indubitate constat, ex ratione ista pro notitia beatorum inter se habeat argumentum nullum posse deduci. Quod & dilecte pronunciat Halfemannus.

## S. XI.

Jam cum constet, adeò liquidum certumque non esse, quod ex ipso gloriæ lumine cœlestes vel se invicem omnes singuli que vel certe necessarii & sanguine juncti ultra se sint agniti, dispiendium amplius est, an cognoscere alios possint ex conversatione & colloquio cum aliis animabus, aut angelis etiam? Intercedere beatis animabus, jucundissima & ad se invicem colloquia, & cum angelis ejusdem beatitudinis confortibus instituta, extra omne dubium ponunt Theologi universi, quorum omnium nomine Königius noster part. I. Theol. Pol. §. 31. inter bona vitae æternæ numerat, dulcissimam cum angelis & beatis omnibus conversationem, in mutua adficiencia, suavissimisque colloquio, & mutuo honore, cum

amo.

*amore mutuo conjuncto, consilientem.* Quod ne videatur sine fundamento Scripturarum asserere, provocat quoad angelos ad Hebr. XII, 21, quoad beatos coelites ad eundem locum & ad alia similia, utpote Matth. II X, ii. & Luc. XIII, 28, 29. In quibus nimis rurum locis insinuatur, quod, quemadmodum confluxus ad regnum Christi gratiosum ex omnibus orbis habitatæ angulis maximè insignis futurus sit, quod potissimum Matthæus digitum intendit; ita ad hunc modum olim in regno gloriae longè amplior adhuc Sanctorum, ad sacratissimum illud epulum, quod paratum est diligenteribus Deum, congressus expectari debeat, in quo amicæ conversationes & dulcissimæ discursuum collationes, quæ alias ut plurimum in conviviis misceri solent, sint locum habiturae. Et huc Lucas pariter, ut & Paulus in locis allegatis respiciunt, hoc ipso innuentæ, summam esse conjunctionem inter Ecclesiam militantem & triumphantem, quod & Eph. I, 10. dicitur, *omnis esse recollecta in Christo, tūm que in celis, tūm que in terris sunt.* Ita magni nominis Theologus Joh. Quistorius in annotat. Bibl. ad loc. Hebr. Jam cùm de hoc ambigi amplius non possit, illud saltem aliquam adhuc videri potest habere incertitudinem: An inter tot myriadas angelorum coelitumque ipsi angelicoelitesque omnium habere notitiam, memoriaque omnes complecti possint, quod videtur facultatem creaturæ, quantilibet excellentia à Deo donata, excedere & omniscientiam quandam arguere. Hanc vero tam amplam notitiam nisi habeant angeli coelitesque, neque explorantibus indicare poterunt eos, ad quos adduci se desiderabunt. Sed vero ad hoc facile respondetur. Nam neque hæ scientia, quantumlibet diffusissima, creaturæ scientiam aut memoriam, quia finita nihilominus est, excedit, nec uno momento, sed longi temporis actibus acquiritur. Quod si quidam exercitus Duces & Principes tantam sibi militum notitiam acquisiverunt, ut in numerosissimo exercitu nominatum singulos allocuti sint, cuius rei Cyri, ex Xenophonte, tanquam maximè mirandum exemplum adducit D. Dannh. tract. de Memoria. Quam stupendam etiam memoriam in Adriano Imperatore & Alexandro Macedone, Themistocle item & Cinea, quodam Pyrrhi legato, ex probatissimis scriptoribus commendat M. Pezoldus in dissertatione

tionē nūpēra de Memoria memorabili, cap. III. §. 3, 4, & 15. Quid dicemus de beatis, qui ab omni hujus vita imperfectione liberati, donis à Deo instrunntur omnem humanam perfectionem longè transcendentibus? Quod si unus angelus unusque coeli incola omnium notitiam non habuerit, à pluribus tamen ejus, quem quæsiveris, scientia impetrabitur, non aliter ac in urbe grandi & spatiofa, quem ab uno alteroque civitum haud fuerit expiscatus, à pluribus tamen facile rescires.

## §. XII.

An verò dñbitari potest etiam cum Deo & fratre nostro Christo familiare colloquium cœlitibus frequenter intercedere? Quod si *cum Christo* futuri sumus in paradiſo, Luc. XXIII, 43. Phil. I, 23. si *ab ipso Pater* illius honorabimur, Joh. XII, 26. si assumetur *ad Christum*, Joh. XIV, 3. si ita *apud Christum* erimus, ut videamus ipsius gloriam, Joh. XVII, 24. si incole & domestici erimus Christi, 2. Cor. V, 8. si semper cum Christo erimus, 1. Thes. IV, 17. si Christum sequemur quorsumcunque iverit, Apoc. XIV, 4. quâ fieri potest, quin cum *formoso inter filios hominum*, cuius gratia diffusa est in labio ipsius, Pl. XLV, 3. veniamus in colloquitionem & sermones misceamus non fructuosos minus quam jucundos? Poteritne Pater noster, qui est in cœlis, quem in precibus nunc quotidianis compellamus, denegare tunc allocutionem filii suis, quod ne facit hic quidem Pater terrentis, cum tamen ab illo Pater *omnis sit Paternitas in cœlo & in terra?* Eph. III, 15. Quomodo Filius, qui *ludit nobiacum in orbe terra & delicia ipsius sunt cum filiis hominis?* Prov. IX, 31. Quomodo Spiritus S. qui *cum filii sumus, missus est in corda nostra clamans:* Abba Pater, Gal. IV, 6. colloquio nostro sese subtrahere poterit? Quanta confidentia filius naturalis adit patrem suum, cum eo confabulatur liberè, ex eodem, quicquid libuerit, dummodò honestum id sit, exquirit, sciscitur, interrogat, orat, idque indubitata exauditionis spe: ea & longè majori (*πόσῳ μᾶλλον*, conf. Luc. XI, 13.) accedit Patrem in cœlis filius familie ipsius coelesti insitus, quippe cum noverit Deum Patrem credentes non minus amare ac amat proprium filium, Joh. XVII, 23.

## §. XIII.

Nec id quoque argumentum infirmum est, quod ex dōtibus per collationem gloriae coelitibus concessis, arcessitur, ad probandum, eosdem ad animarum notitiam, quarumcunque desiderio ducuntur, facillimē devenire posse. Ea sunt in beatorum corporibus spiritualitas, subtilitas, agilitas, celeritas, quæ ne dubium quidem habent ullum. Quomodo enim spiritualia quoniam futura sunt coelitum corpora, si non sint subtilia & per subtilitatem agilia, perque agilitatem celeria? Haec sunt qualitates, quæ spiritualitatem, ab Apostolo Paulo beatis ad scriptam, illorum corpora consequuntur, cum ipsam spiritus essentiam, quamdiu corporis natura manet, induere non possint. Quod si beati gravitate corporum exuti, in momento esse poterunt, ubi cunque esse volunt, idem omnino de animabus asserendum necessariò est, quia & illæ essentiale gloriam actu possident, & si haec dona animabus separatis, tanquam substantiis incompletissim non competenter, quod suo loco nonnulli relinquunt, tamen ex gloriae participatione denegari iisdem haud poterunt. Facies igitur celeritas & subtilitas animarum, ut, cum nulla possint eas obstracula impedire, quod minus omnia in celis loca penetrant, illæ exiguo temporis spatio sine ulla molestia omnes quasi angulos coelestis palatii circumire, & id quod desiderant perveстиare possint. Si canibus datum à natura est, ut brevissimo intercedente temporis spatio, etiam in non mediocri hominum multitudine, heros domesticosque suos solo odoratus sui acumine & corporis agilitate investigent, quid virtutis datum esse coeli incolis putabimus, ut non æquare tantum valeant, sed vincere longè bestias illas non odoratu, sed ingenii ignota quidem nobis & imperficiuntur, sed convenienter tamen gloriose ipsorum statui perspicacia? Aut dicemus, in illo summa perfectionis regno adhuc præcellere expertia hujus seculi rationis bruta hominem, ad ipsam Dei imaginem factum?

Diliendus nobis, antequam hinc recedamus, scrupulus est, qui hactenus dictis obesse posse videtur. Quo indicio, qui recens coelesti regno insertus est, dignoscere animam possit, cui

salutem alterius nomine nunciare debet? Nec enim videtur statim ideo animam anima agnosere, quia homo aliquando hominem cognovit. Agnovit enim homo alterum hac in vita ex exterioribus faciei lineamentis, quæ cum in anima desint, quippe omnis materia experie, non apparet, quo vestigio anima, omni colore in oculos illabente destituta, possit dignosci? At vero non inconveniens erit dicere, penetrare animam in alterius animæ notitiam aliarum animarum significatione. Ut enim cum Sejum nunquam a me visum in vestigo altero me in domum ejus deducente, in notitiam Seji devenio, ita & inter animas tale quid fieri posse improbabile non est. Sed & alias esse posse cognoscendi & animam ab anima distingueendi rationes, cum Spiritibus multis competere possint ob naturam eorumdem spiritualem, quæ ne imaginari quidem nos nobis, quippe crassiori corporis qualitate impediti, possumus, frustra ambigitur. Non quidem oculis corporeis anima animam videt, ut neque lingua corporea anima cum anima loquitur, nec pede corporeo de loco in locum procedit, quin tamen res ipsa, quam visionem nos dicimus, quam locutionem, quem motum & processum, animabus quoque competit, ne dubitari quidem debet. Agnoscit anima animam & ab altera distinguit, communicat ei suos conceptus & conceptus alterius apprehendit, in locum vel ubi, in quo ante non fuerat, progeditur modo quidem, quem nos, nunc corporeis sensibus adseri, ignoramus, immo nec imprimere animo nostro possumus. Afferenda sunt haec universa, nisi ex animabus & angelis trunco lapidesque, aut immobiles alias facere substantias & quicquid de earum sermocinationibus, apparitionibus, sermonum nostrorum perceptionibus, a nobis abitionibus, & id genus actionibus aliis in indubio DEI verbo dicitur, in dubium vocare, aut in meras vel fabulas vel imaginationes convertere velimus. Ut corpori nostro DEUS indere sensus varios potuit, quibus vel communicare cogitata nostra aliis, vel ab aliis nobis communicata apprehendere & sentire possumus; ita quin in immateriatis quoque substantiis similes sensus, quanquam a corpore a mole longè remotos, efficere potuerit, iniqui sumus in DEI potentiam, cui nihil impossibile est, si inficiari velimus. Ipse DEUS quanquam substantiarum im-

immateriarum omnium subtilissima, hominibus tamen etiam nonnunquam sine corporeorum instrumentorum adminiculo, se manifestat, notitiamque rerum, quarum participem esse vult, hominem, in eodem sine ullo corporis humani usu efficit. Quia itaque credamus, animabus quoque humanis, quæ quanquam hactenus incompletæ sunt substantiæ, quod ad informandum præcipue corpus à DEO ordinatae sunt, quo si destituantur; aliquid ipsis, quod tamen à DEO naturæ ipsorum inditum intimè est, deficit, spiritus tamen sunt, adeoque de communis spirituum natura cùm à corpore solutæ sunt, participant, ratio nulla esse videtur. Ut itaque angelus angelum investigare, investigatum cognoscere, eognitum ab aliis secernere potest, atque hæc universa fine ullo sentium exteriorum subsidio, & tamen perfectiori longe, quam ea, quæ corporea & materiata sunt, ratione, quanquam modo nobis incognito; ita animabus in celo tandem virtutem competere, nemo amplius dubitabit. Quo ipso scrupulus remotus est, qui sub initium hujus paragraphi fuit injectus.

S. XV.

Jam cùm pateat, ex parte animæ hinc excedentis, cui salutatio à superstitibus commissa est, nihil impedire, quò minus commissum sibi officium in celis obire possit, amplius inquirendum est, an itaque & animæ ad quas ablegatur, aliquam adhuc earum rerum notitiam retineant, quarum in hac vita suèrē particeps, desiderentque adhuc quadam cum hujus mundi incolis, sanguine imprimis & interiori amicitia propinquis, conversatione & commercio frui? Si ex narratione, quæ apud Lucam de epulone & Lazaro habetur, firma ducerentur per omnia de statu eorum, qui hinc decesserunt, argumenta, quin affirmanda esset quaestio: dubitari non posset. Quod si damnati, in inferno suorum necessitiorum notitiam retinent, eorumque cura tanguntur, ne pari infelicitati & miseria involvantur; quanto magis aeternæ gloriæ adscripti suorum, quos in hac terra reliquerunt, amore curaque afficiuntur, ne vias Domini relinquendo damnationis aeternæ periculum incurvant, quos ut in hac vita affectu & nonnunquam etiam sanguine sibi conjunctissimos habuerunt, in altera quoque ejusdem gaudis confortes, sibique sociatos liben-

libentissimè viderent. Verum enim vero supra jam §. 10. à nobis ostenditum est, ea ad minimum parte, qua colloquium istud inter divitem & Lazarum complectitur, narrationem istam figuram & parabolicam esse, qua res alterius vitæ sub eo quidem lchemate, quo in hac vita geruntur, repræsentantur, sed non ut singulas circumstantias utrobique coincidere, sed res ipsa vera esse demonstretur, nempe post hanc vitam non dari vel ex inferno liberationem, vel viam aliam infernales poenas effugiendi, quam obsequium scriptis Mosis & prophetarum præbitum. Itaque dispi ciendum est, an forte alia reperiantur argumenta, quibus doceri possit, perleverare in animabus hinc ad coelum profectis adhuc memoriam suorum in his terris & desiderium de rebus iporum aliquid cognoscendi?

## S. XVI.

Et quidem si Scripturam consulamus, quæ in re ab occulis nostris remota & nulla naturaliratione pervaestigabili, unicum veritatis testimonium præbere potest, illa quidem primore intuitu videtur omnem rerum terrenarum notitiam & curam etiam proximorum agnitorum, qualis Abrahamus fuit respectu posterorum suorum, a beatis animabus removere. Dictum inter coetera præcipuum est illud apud Es. cap. LXIII, 26. *Abrahamus nescit nos & Iffrael non agnoscit nos.* Ad quem locum celebratissimus quondam hujus Academiæ Theologus D. Varen. in Commentario ad h. l. obseruat, omnino simplicem ignorantiam Patribus V. T. hic tribui; negari nempe ipsis *nescientiam*, vel *non dam cognitionem specialem posthumam*, *Sanctis triumphantibus in ordine ad Ecclesiam militantem competentem*. D. Seb. Schmid. non minoribus in Ecclesiam nostram meritis inclitus, comment. h. l. *non nosse*, inquit, *non tantum negat scientiam, sed negat etiam miserandi & juvandi cum valore potestatem*. Et quando Pontifici rō: *ignorant, interpretantur per: non curant*, revocant eos ad literam à Judeis agnitam & ad rationem additam: non possumus ab iis ut à Patribus auxilium sperare, quia ignorant res nostras. Sed & alia loca quæ terrenorum notitiam a Sanctis removere videntur, passim objectari videoas, utpote Eccles. IX, 5. Job. XIV, 22. quibus & posset jungi 2. Reg. XXII, 20. Veruntamen non efficiunt

hæc

hæc loca id, quod primiore intuitu efficere videntur. Si enim in ipsa litera ille, qui apud Ecclesiasten occurrit, accipiatur, inque ea, quam præfert, generalitate, nihil prorsus sciant coelites atque adeo ipso intellectu humano destituantur, necesse est. Nam mortui non sciunt quicquam, ait. Si vero de particularibus hujus mundi negotiis intelligatur, quæ ignorant, qui vita excesserunt, quo sensu multi interpretum, ipseque incomparabilis Hagiographorum Exegeta, D. Geierus, locum exaudiunt, cur non potius intelligas de mortuo, ejusque ea parte, quæ mortuus est, quo pacto & David de homine mortuo pronunciat: *non in morte recordatio est tu, & in statu defunctorum quis celebrabit te?* Psal. VI. 6. i.e. ipso Geiero interprete, post dissolutionem animæ à corpore cessat omnis membrorum corporis ad DEI gloriam motus, licet non cesset anima ad DEum redirentis vita, Eccl. XII. 7. Aut juxta D. Seb. Schmid. Mortui nihil sciunt juxta externam in corpore mortuo apparentiam. Quin & si locus ille, qui in Esaia legitur, in ea litera, quam præfert, latitudine accipiatur, & id ignoraverit necesse est Abrahamus, quod aliqui in mundo essent posteri sui, cum tamen semen suum ex Divina promissione novisset multiplicandum esse, instar stellarum cœli & arena maris. Ignorare itaque Abrahamus & Jacobus Israëlitas sui temporis dicuntur, quia ipsorum cura, cuius gratia ipsos nosse deberent, iis nunquam fuerat post mortem à DEO concredata, nec injunctum unquam Israëlitis, ut ad eosdem in necessitatibus confugerent. Ipsi in cœlos recepti & à rerum humanarum, ipsorumque filiorum suorum, sollicitudine remoti fuerant, ut quanquam, dum viverent, suorum filiorum curam merito gesserint, sublati tamen è mundo, ut omni cura, ita & ordinaria notitia status suorum liberati fuerint. Qued dum agnoscunt ejut temporis Israëlitæ, ignorare se Abrahamum & Israëlem, neque quicquam cum his familiarum suarum Patriarchis sibi amplius negotii esse profitentur, qui & ipsi ut curam in se omnem, ita & notitiam ad curam illam directam deplouerint. Ut qui decedit vel imperio vel officio, neque cura amplius rerum ad functiones illas pertinentium tangitur, neque ulla etiam earum notitia ordinariè ad ipsum defertur, quippe molestia omni & sollicitudine liberatum. Quo tamen non obstante fieri potest, ut nonnunquam ob-

Iata occasione aliquid rerum illarum resciscat & affectu. quo potest, narrantium desideriis assistat. Idem puto dicere voluisse doctissimum Mensium Reservatorum autorem, qui oblatione VI. Sancti, ait, *beata Dei visione gaudentes ob locorum distantiam ordinarie & ex se nihil prouersus cognoscunt rerum humanarum, Scriptura dicente: Abraham nescit nos, & Israel ignorat nos.* Sed idcirco non subtrahitur eis nouitia extrinsecus accedens, quanquam certis limitibus coercita. *Locum Hiobi: Glorificabuntur filii ejus & non sciet;* & minaentur, nec attendet ad illos? interrogativè de homine vivo accipit D. Seb. Schmidtius. Quanquam si de mortuo cum vulgo interpretum exponatur, recte hunc locum circumscribat Mercerus: *Mortui, feliciori vita occupati, aut certè infeliori, nec sciunt, nec curant, quæ hic aguntur, etiam à propriis liberis, non quod intelligentia careant, sed quia otii, amoris, aliarumq; affectionum & negotiorum, quibus hic occupabantur, experies sint.* Nihiljam cum viventibus eis commune est. Adde quod de corporibus loquitur sepultis, quæ omnis sensu expertia sunt & à viventium communione semota, cum interitum spiritus ad Deum convolantes redierint. *Quemadmodum longè manifestius, quæ de Jesu dicuntur: oculi eius non videbunt omne malum, quod ego adducam super locum hunc, de corporis oculis, non scientia mentis loquuntur.* Quanquam si & de hac acciperentur, occasionali tamen mortuorum scientiæ, quam ex aliorum narratione & discursu vel cum Deo, vel cum angelis, vel cum animabus aliis, nisi ex iis stipites truncosque facere velimus, hauriuns, nihil derogaret.

## § XVII.

Licet igitur Scriptura notitiæ curæque beatorum, quam prouiis gerant, in ipsa litera haud videatur favere, ipsa tamen cœlum natura & conditio in Scriptura S. descripta, non exiguum argumentum præbere potest, quo si non certum & indubitatum, vero simillimum tamen reddatur, animas hinc decentes neque notitiam omnem, neque amorem neque curam omnem eorum amittere, quæ in hac vita ipsi cara fuerunt. In confessio est, animas excessu suo non redi infeliores, sed quod magis à materiæ onere & profectis hinc impedimentis solvuntur. eo majorem adipisci perfectionem. Vero simile igitur est, eas haustam in hac vita rerum notitiam in glorioſo illo regno adeò non amittere, ut perficiantur

ant potius & adaugeant incrementis. Cur enim variam illam quam multis hic experimentis sibi acquisivere, scientiam in alteram illam vitam non transferant? cur eos rerum omnium confessim subeat oblivio, haud aliter ac si ex Lethao amne, quæ gentilis superstitionis fabula est, bibissent? Si v. gr. Ecclesiæ præsul, qui casus gregem suum, à quo recenter abstractus, cœloque insertus est, vel commoveant, vel adfligant; Si conjugum alteruter, quibuscum vel ærumnis, vel miseriis, vel conjux hic relictus, vel liberi, quos instar propriæ animæ tenerimè diligimus, quam primum beatissimus regni incola facti sunt, sciverint, quæ fieri potest, ut naturam suam tā subito exuere, aut deponere 500. il lam tā tenaciter animæ nostræ fibris infixam, atque adeo, ut ita dicas, avæ. Ænori possint, ut non recordentur amplius suorum, ut eorundem abjiciant curam, ut eosdem non ament, neque salutem eorum, saltem voto quopiam, promoteans? Edocemur ipsius veritatis testimonio, fieri non posse, ut obliuiscatur mater filii sui, & credibile sit eandem mortis violentia à svavissimis infantibus avulsam, eorum illicò expellere ex mente memoriam & ejurare curam? Aut homines esse desierint, qui moriuntur, aut retineant ea, quæ homini propria sunt, quæque ab homine nisi per superiorum & violentam potentiam separari nequeunt. Quis insuper dubitaret credere, animas, immortali gloria fruentes ab animabus aliis, ex eodem loco eò delatis, ipsisque nonnunquam sanguinis vinculo conjunctis, recentiorem rerum in hoc mundo actarum impetrare notitiam? Si defuncta hodiè cuiuspiam uxore, tertio post mense decedat vel filius vel frater, num immixtus conjugis, aliorumq; è necessitudine ejus societati, nihil de superstite, nihil de aliis, quos penitissimo affectu complexus fuit, enarrabit? Nihil de conjugie, nihil de liberis suis uxor ex eo, mater ex filio percontabitur? Si forte familiam gravis premat & propè suppri mat calamitas, aīe filius amoris, immutabili divinæ legis decreto parenti debiti & ipsi naturæ insiti, neque ab ea nisi destructa ipsa natura separabilis, oblitus, pro eo Deum haud deprecabitur? Nec conjugem meam, quæ christianam charitatem in gloria non depositus, ad simile officium inflammabit, eo cum primis loco obendum, ubi & affectus vehementia flagrantius ardet, & preces

omni imperfectionis labe sunt immunes, & ideo Deus longe quam ad mortalium desideria exaudienda proclivior? Quod si animæ ipsæ officiosæ esse, & isthunc in modum vel interrogare invicem vel referre omitterent, ab angelis in hanc terram cunctibus & remeantibus in celum, atque ad thronum divinum fidelium necessitates perferentibus, non improbatum est beatos nonnunquam informari. Quinimò à Deo ipso, cui in gloria propinquai sunt, cum quo nudæ cum nudo conservantur, nosse in familiari colloquio res hujus orbis posse animas, quantum scire ipsis interest, suo loco ex Scriptura vidimus. Id enim quanquam in Scriptura totidem verbis non legatur, quia tamen ipsi animarum statui, in amico cum Deo, cum angelis, cum beatis conversatione consistenti, videtur consentaneum, negari ideo non debet, quia immotæ veritatis est, etiam ea, quæ per bonam consequentiam ex Scripturis eruuntur, non minus esse ipsum Dei verbum, quam quod totidem in ea verbis habetur.

## S. XLIX.

Repetii hæc argumenta ex programmata Venerabilis Praesidiis mei, Exegesi Schmoriana in Epistolas Catholicas subjuncto. Accedunt nunc suffragia vetustissimorum pariter & recentiorum Ecclesiarum Patrum, itemque virorum aliorum piiissimum, qui sperarunt in fide hic morituros, in altera vita superstitionem non meminisse tantum, sed apud Deum quoque pro ipsis intercedere. Origenem Seculi III. Patrem jam olim noster Chemnitius, & postea G. J. Vossius, tum D. Dreierus, initium fecisse ajunt ejus doctrinæ, quæ animabus defunctorum notitiam quandam rerum, quæ in hoc mundo aguntur, & curam pro hominibus atque apud Deum intercessionem adscribit. Nec id prorsus negari potest, quanquam invocationem earundem, quam alias Rom. Ecclesiarum scriptores earum precibus pro nobis effusis superstruant, longissime removerit. De iis Origenis locis adversus P. D. Huetium ex instituto egit DN. Praeses meus Tr. de Origine & superstitutione Missarum in honorem Sanctorum celebratarum c. VII. §. 10. sq. Eodem seculo Cyprianus, Episcopus & Martyr, aliquoties visus est sententiaz illi de speciali Sanctorum pro quibusdam, quorum notitiam habebant, intercessione accedere. Epistolâ juxta Anglicanam editionem LX. ad Cornelium scribit; qui iste hinc

hinc nostrum prior divine dignationis celeritate præcesserit, per fuerit apud  
 Dominum nostra dilectio pro fratribus & sororibus nostris, apud miseri-  
 cordiam Patris non cesset oratio. Quæ verba Rivetus in summa Con-  
 trov. p. 254. Tom III. Opp. intelligit de precibus, in cœlo pro su-  
 perflite factis. Sed rectius longe Joh. Fellus, Episcopus Oxon. in  
 Observationibus ad Cyprianum de orationibus vivorum & su-  
 perstitum exponit, cui & accesit Præses meus in allegato Tract.  
 c. IV. §. XVII. Nec alienus ab hac opinione postea factus est ipse  
 Rivetus, in Dialysi, Sect. IX. §. IV. Alia quoq; Cypriani verba,  
 quæ in fine libri de Habitū virginitatis leguntur! Durate fortiter,  
 spiritualiter pergite, prevente feliciter; tantum memento tunc nostri, cum  
 incipit in vobis virginitas honorari, de iisdem martyribus, adhuc vi-  
 vis, sed mox morituris. (hoc enim est: cum in vobis incipit virgini-  
 tas honorari) rectè intelligit Joh. Oxoniensis. Unus tamen locus  
 est, qui nimis manifeste, non generalem tantum, sed specialem  
 quoq; cœlitum pro suis intercessionem enuntiat. Legitur is pa-  
 riter sub finem libri de mortalitate, ubi verba sunt: *Magnus illic  
 nos carorum numerus expectat, (in cœlo nempe) parentum, fratrum,  
 filiorum frequens nos & copiosaturba desiderat, jam de sua immortalitate  
 secura ET ADHUC DE SALUTE NOSTRA SOLICITA.* Ad  
 quem iterum Fellus: quanquam cœlo recepta anime seculi bujuscum-  
 ris non vident, ut tamen suis felicitatem eandem excepteni & demum gra-  
 tulentur, nihil est quod impedit; Charitas enim nunquam excidit. Re-  
 stet, cautè & pie. Paulò post Cypriani tempora eousque martyrum  
 veneratio excrevit, ut & ab iisd. hinc decadentib; peterent, quo  
 sui in aitora vita apud Dominum memores essent. De Theodosia  
 virgine Eusebius refert c. VII. de Martyribus Palastinæ: accesisti  
 se eandem ad vincitos, tum ut eos salutaret, tum ut, quod credibile est,  
 eosdem rogaret, ut cum ad DEUM pervenissent, sui memores esse volent.  
 Nec minus de Potamianæ idem Euseb. VI. H. E. c. V. quod cum  
 Basilidis, hominis gentilis, ad executionem illam ducentis, beni-  
 gitatem experta esset, grati animi testandi causa, bono enim animo  
 esse iussit, se enim post obitum salutem ipsius à Domino imperaturam &  
 collata in se beneficia brevi remuneraturam esse. Quid & in cœlo fece-  
 rit, obtinueritque à DEO, ut fieret Christianus. Eusebius ipse Lib.  
 XII. de Preparatione Evang. c. I. ex Platone docet, defunctorum

animas virtutem quandam habere, qua vel post mortem rebus humanis  
ancilientur. Additque: vera haec opinio est. Sed cum eo tempore  
nimis jam luxuriaverit magnifica veterum de sanctis demortuis  
persuasio, cuius pricipuè exemplum Theodoretus sub finem li-  
brorum de curandis Græcorum affectionib⁹ præbet, non alia am-  
plius hac de re antiquorum testimonia adjicio, quam Gregorii  
Nazianzeni, qui in Panegyrico, patri suo dicto, inter alia lenien-  
di doloris fomenta: non obliviscitur, ait, intercessionis pro Ecclesia  
sua, morte suanō finite, sed antea potius & roborate; ad quem locum  
Commentarii vicem præstat Praefidis mei Programma aliquoties  
laudatum; Et quæ nobis in Lexico Antiquitatum Ecclesiæ, dili-  
gentissimus Arndius, titulo: animarum status post mortem, §. XIX.  
suggerit. Utpote Hieronymi ad Paulum de Blesilla; pro te Domi-  
num rogat: nihilque veniam impetrat peccatorum. Nazianzeni de Atha-  
nasio defuncto: ille nunc res nostras èst & dñe, cœlitus inficit, ac virtu-  
tis causa laborantibus manum porrigit. Et Augustini, de cura pro  
mortuis, cuius nos pleniora, quām quæ Arndius habet, verba  
adferremus; Fatendum est, ait, nescire quidem mortuos quid hic agatur,  
( quasi illud Esaiæ repeteret vellet: Abraham nescit nos,) postea  
verò audire ab eis, qui hinc ad eos moriendo pergunt. Non quidem omnia,  
sed quæ sinuntur indicare, qui sinuntur etiam ista meminisse, & quæ illos,  
quibus hac indicant, oportet audire. Addit deinceps, per angelos  
quoque, perque ipsum DEum familiariter cum ipsis converfan-  
tem, rerum terrenarum cœlestes capessere notitiam. B. D. Hülsem.  
in Man. A. C. eund. Augustin. ad Nébridiumscribere ait: se ar-  
bitrari, non sic eundem inebriari ex visione Dei, ut Augustini obliviscatur,  
cum Dominus nostri sit memor. Atq; ita quidem antiqui. His Patrum  
pietissimis meditationibus succedit suffraganea recentiorum  
Theologorum sententia, qui ubi in hoc argumentum ex materiæ  
& se tractatæ indole pertracti sunt, calculum nonnunquam suum  
nobis additum non subticuerunt. Æternæ memoræ Theologus  
& antiquitatis scrutator indefessus, D. Joach. Hildebrandus, sub  
finem Offertorii sui enarrat, filiolum suum novensem, morti pro-  
ximum, matrem absente Patre consolaturum, eidem stipulatam a-  
nu promisso, se in cœlo pro parentibus, fratribus, sororibus, cognatis &  
amicis DEVM assidue deprecaturum. | Nec dubito promissum jam stare  
et nos

Nos superstites intercessione tam charae anime, in virtute meriti Christi,  
 unici Mediatores nostri, (per quem solum & ejus & nostræ preces sunt ac-  
 cepta) frui non minus ac si inter nos viveret, D. Barthold. Krakevizi  
 Theologus & eruditione & meritis summus, in Christiana manu-  
 ductione ad beatam ex hac vita emigrationem obtinendam: ani-  
 me pie defunctorum Ecclesie militantis liberationem omnino tam arden-  
 ter optant. Fieri etiam potest, ut præter generalem conditionis nostræ in hac  
 vita notitiam, quam habent ex aliis simam, quædam illis in particulari non  
 nunquam de Ecclesie stupendis vicis studiibus, de fortuna & infortuniis  
 proximorum suorum hic etiam superfluum, hisque similibus, juxta  
 beneplacitum voluntatis altissimi revelentur. Qvam tamen sententiam  
 nemini tanquam certò exploratam obtrudimus. D. Aug. Varenius,  
 magnus & immortalis hujus Academiæ Theologus, in Breviario  
 artic. XIII, §. 9. Animæ separata fidelium circa aulam memoriae rationa-  
 lis raptæ secum efferrunt præteriorum & objectorum hic cognitorum me-  
 moriam. Cui propositione probanda post multa alia argumenta  
 & illud Augustini adprobat; vivit Nebridius meus in fini Abraæ,  
 nec sic inebriator, ut obliviscatur mei. Subjicit propositionem aliam  
 §. 13 Animæ separata fidelium non solum objectorum veterum, vel remini-  
 scientiam secum in aulam Regis cœlestis in iisdem vasis efferunt, sed & no-  
 novam novorum antea in hac vita incognitorum notitiam in Regia illa cœle-  
 stis in iisdem vasis efferunt, sed & novam novorum antea in hac vita inco-  
 gnitorum notitiam in Regia illa cœlesti acquirunt. Quam recordatio-  
 nem animæ humanæ post fata superstitis, conjunctam cum afle-  
 ctibus gaudii desiderii, spei & amoris atque benevolentiae in pre-  
 ces effusæ pro Ecclesia, procognatis, pro amicis, ante septennium  
 pro inaugurali Disputatione in Academia Kiloniensi, compro-  
 bante Summo Theologo, D. MAYERO, pluribus exposuit D.  
 Joh. Alb. Fabricius, vir variis eruditissimi ingenii monumentis  
 celeberrimus. Quibus omnibus haut ita pridem, remotis cun-  
 ctis, quæ huic opinioni objiciti poterant, obstaculis, accessit autor  
 Mensium, ut vocat, Reservatorum longè doctissimus, Oblat. VI.  
 Num. 3. cuius quæstio est: An beati defuncti in celis apud DEUM  
 incedant etiam in particulari & specialissime pro his, quos olim dilexe-  
 rum in terris & adhuc in celis diligunt? Quam & veterum sugratiis,  
 utpote Anastasii Sinaitæ, Gregorii Nazianzeni, Ambrosii, Julia-

ni Toletani, Chrysostomi & Cypriani, & recentiorum, præcipue  
Hildebranti & celeberrimi Pfauneri, cum ea tamen, quæ & aliis  
plerisque placuit, moderatione confirmat. Ne quid postremò  
dicamus de Theologis Practicis, qui non improbant morientium  
voces frequentissimas: Ich will fleißig vor euch in dem Himmel be-  
ten/ ich will durch mein Gebeth dieses oder jenes Übel von euch abwen-  
den/ ich will euch diese oder jene Gütthat zu wege bringen; ceu de B.  
Matthesio scribit D. Carpzovius, Part. V. Funebr. p. 696. quide  
uxore sua fatis functa: Ohne Zweifel läßet mein liebes Weib ihjo  
von Grund ihres Herzens manchen tieffen Seuffher fahren: O lie-  
ber Götterhalte meinen lieben Mann und Kinder/ und bring uns  
hald in allen Freuden für deinem Angesicht zusammen. Ipsique  
Concionatores Oratoresque frequentissime superstites hoc ipso  
solatio erigere solent, quod amiserint quidem filios filiasque, pa-  
rentes, fratresque & sorores, sed præmiserint intercessores pro se  
& salute sua, eo Majori robore DEUM oratueros, quo viciniores  
nunc DEO & toti SS. Trinitati, defecata ab omni peccati labo-  
mente precari, atque adeò a DEO in familiarissimo cum ipso col-  
loquio impetrare valeant, qvicqvid voluerint. Qvam in rem  
subjicio Oratoris & Polyhistoris consummatissimi, Schurzfle-  
schii, verba, ex oratione in funere D. Calovii habita. *Qui ita, in-*  
*qvit, discessit è vita, ut nondum vivere definit, & animo nobis conjunctus*  
*admodum nunc pro cœtropio deprecator sit in cœlis, qui ante fuit pari mentis*  
*contentione in terris, quippe gnarus temporum, in quæ inciderat, difficilli-*  
*morum, quibus ne dies quidam sine miseria abiit, & memor, quo statu res*  
*Christianafnerit, quum solitus & liber è certamine suo exiret.*

## S. XIX.

Nunc verò de cura & intercesione cœlitum sive gene-  
rali pro universa Ecclesia, sive speciali pro iis, qvos in his terris a-  
more singulari prosecuti sunt, de qua haec tenus in tantum dun-  
taxat egimus, in quantum ea simul memoriam & qvalemcunqye  
affectum in beatis superesse demonstrant, ut adeò si ab advenien-  
tibus aliis animabus necessiariorum suorum nomine salutentur,  
officium hoc & benevolentia testimonium ipsis gratum esse pos-  
sit & acceptum, neqvaquam nobis fusius agere propositum est.  
Neque enim extra questionem nostram, in disputationis inscri-  
ptione

patione notatam, ne digressioneulla longius evagemur, nobisque & qualibuscunque facultatibus nostris inolesti sumus, egrediemur. Id interea hinc patescere arbitramur, & statui beatorum cœlitum, & naturali eorundem constitutioni, & piorum communis sensui, & denique Ecclesia veteris pariter hodiernæ que doctorum celeberrimorum opinioni non incongruum esse. quod memoriam & affectum erga superstites in hoc munido omnino retineant cœli incolæ, imo incrementis non exiguis adau-

geant,

## §. XX.

Ex retento aucto que hoc affectu profluent mutuæ inter ipsos cœlites sive de amicis suis in hac peregrinatione relictis, siue de rebus quibuscunque aliis, ad honestatem & pietatem compositis, confabulationes. Cujus enim cor plenum est, ejus quoque os exundare, quod in proverbio dicitur, ultrò intelligitur. De inferni incolis in extremo quondam judicio condemnatis, Sapientiæ Liber c. V. 3, 4. dicent sibi invicem penitentes & propter angustiam spiritus ingemiscentes: *huc erat, quem hababamus olim in risum & in parabolam contumelie; imprudentes vitam ejus reputavimus infaniam & mortem ejus inhonestam.* *Quomodo numeratus est inter filios Dei & in sanctis sorse ejus est?* Dum itaque damnati sermones inter se & discursus de suismet pariter & piorum fatis, deque via modoque, quo utriq[ue] ad illa devenerunt, miscent; quidni & beati id genus sermones inter se cœderent, predicarentque divinam justitiam in condemnandis impiis & misericordiam in salvandis piis conspicuam? Ita n. plerosq[ue] Theologos videmus ex exemplo epulonis pariter argumentari ad beatos cœli incolas. Sunt qui existimant, beatos cœlites nihil aliud in cœlis agere, qvam ut perpetuo & indesinenti asperitu Dei se se oblectent, ex eoq[ue] flagrantissimum amorem erga Deum concipient, res verò qvascunque alias penitus à se abjiciant, nec ullo de coetero negotio occupentur. Sed hæc opinio vix applaufum invenire potest. Angeli vident Διός πατέρος faciem Patris cœlestis, Matth. XLIX. 10. & tamen variis simul negotiis occupantur: Observant homines poenitentes, ob eosdemque loerantur, colloquuntur cum mulieribus, Christum post resurrectionem qværentibus, & infinita id

E

genus

genus agunt, quæ familiarem conversationem arguunt. Præterea simul cum essentiali beatitudine, quæ in visione Dñi consistit, referuntur à Theologis bona quædam externa, utpote conversatio cum Deo, angelis & animabus, quæ ne concipi quidem potest sine variis colloquiis, quibus ipsorum beatitudo augetur.

## §. XXI.

Ex quibus omnibus pro affirmante questionis proposita sententia, hunc in modum concludimus: Si beati coelites vel ex lumine gloriæ exactissimam omnium beatorum notitiam habent, vel ex familiari cum Deo, cum angelis, cumq; animabus colloquio, imò ipsimet per naturæ suæ subtilitatem, agilitatem & celeritatem eandem facile acquirere possunt: prætere à beati neque notitiam rerum in hoc orbe gestarum, neque amorem amicorum amittunt, quin potius à noviter advenientibus animabus de propinquorum suorum statu bona audire nova desiderant, tum utique moribundis committi potest, ut pridem defunctis animabus superstitione nomine salutem nuntiant, quæ salutem nuntiare est memoriam, honorem & amorem testari. Atqui prius per partes haec tenus fuit probatum, Ergò posterius, nisi prorsus fallimur, legitimè consequitur.

## §. XXII.

Dices: si haec ita se habent, cur verò ne semel quidem ullum exemplum in Sacris memoratur, quo de statu beatorum quid agant, quid invicem colloquantur, quod commercium cum hujus mundi hominibus ipsis intercedat, certi reddamus? Non disitendum est, hoc argumentum commovisse plerosque Theologos, ut vel scientiam omnem rerum humanarum, vel certè quamlibet novam & particularem, beatis animabus abjudicaverint; Nec nos quoque diffitemur, idoneum esse hoc argumentum, quod à plenisimo assensu nos cohibeat, cùm DEO gravissimæ rationes esse possint, quæ omnem rerum, quæ in hoc orbe noviter geruntur, notitiam à beatis removeant. Evidenter jam veteres hanc ipsam ob causam in asserenda hac beatorum notitia admodum cautè processerunt. Exemplum est Augustinus, cuius tamen tempore Sanctorum cultus iam eo usque

que excreverat, ut paulò post in disertam invocationem abiret, nihilominus (quod anteà vidimus) postquam afferuerisset tres modos, quibus animæ ad penitorem rerum terrenarum notitiam adduci possint, magna cautela utitur, quod tantum abiis reficiant ea, quæ sinuntur indicare, quæ sinuntur etiam ista meminisse. Quibus addit: ut volet, accipiat quisq; quod dico. Quasi sententiam suam noli venditare pro doctrina Ecclesiæ, sed duntaxat pro opinione privata. D. Hildebrandus quòd; sua de filio suo persuasione modestia notam subjicit: Ita eisdem spero; Cui aliamens est, sensu suo abundet. Non aliter D. Krakevizi⁹ supra adductus. Hanc Theologo necessariam modestiam securus Praes̄s meus est, qui in Programmate suo admodum notanter: Dispicendum ferio est, ne opiniones cum sufficienti fundamento nixas, in argumento pricipiè circa mortuorum statim in doctrinas Ecclesiæ sub necessitate quæ piam credendas quibus adversarii facilè queant abutis, convertamus, cùm affectus circa mortuos, quos dileximus atque columus, excessu plerumque labore, nec quiescat facile, quin ea fuerit molitus, quæ & Numis ipsius honoris adferant detrimentum. Si qui ex edibus nostris, ex complexu, ex brachis in cœlestè illud regnum, nobis invitatis & ex quo si dolore confectis, abierunt, quid piam nostrarum sciunt rerum, si alio qua superest in eis orandi pro nobis cura, hoc nos in obitu nostrorum erigamus solatio, quod moriantur quidem mundo, ne eorum amplius fruamur opera, vivant autem DEO, ut majora ab eo nobis impetrant beneficia. Et allegata D. Hildebrandi modestia: Si nulla planè sancti in cœlo animabus est rerum terrenarum, nec ex aliorum quidem narratione nostra, si nec ullo misericordiarum nostrarum sensu tanguntur, non ideo persuasio nostra erroris, qui ad infernum precipitet, qui salute excludat, dannanda erit. Quicquid enim pro consolatione nostra ab amicis, in ethereis hinc sedes migraturis, vel petimus, vel speramus, quicquid ipsis inter cœlestes receptis pro nobis nostrisque precum adscribimus, id ab animo proficisciatur, in DEI unicæ voluntatem directo, ut id si verbo revelatio repugnet, si beatitudinis cœlestis statim adveretur, id nec dictum vellemus unquam, nec petitum. Si placuerit Divine bonitati, ut liberata à corpore animæ, & à cura simul omni, & omni rerum molestiarum tristitia, unde scientia sint liberae, gratulensur ipsis hanc collatam in eos à DEO, felicitatem, neque desideremus, eas ulla nostri causa curis amplius in-

volvi. Si vero valente, qui velle id utique potest, DEO rerum adhuc humanarum curis qualitercumque mixta, preces suas cum nobis conjugant, cogitemus, rationem nullam esse, cur id desiderare non ipse debeant, cum ecclesiis gaudii magnitudinem angeat, si bene cum Ecclesia, cum Republ. cum necessitudine sua agi, etiam adminiculan-  
tibus ipsorummet supplicacionibus, intelligunt, nec perfectionem felici-  
tatis immuniat. Sicut inquit quid illis accidere audiantur, nisi forte & DEI ipsius  
atque Servatoris nostri beatitudini detrabat, quod calamitates fratrum  
suarum exactissime cognoscit, ant angelorum prosperitati obicit, quod  
adversitatibus piorum ipsimet interfuit, aut Abraham dolorem attule-  
rit, quod epulonem, citra dubium ex posteritate suae potest, in eterna  
miserie flammis confinxerit. Parem moderationem etiam in Chemic-  
nitio (Vid. Ejusdem Examen Concil. Trident. part. 3. de In-  
vocatione Sanctorum. num tertio) quamquam de generalitatem  
Sanctorum pro Ecclesia intercessione agat, deprehendas.  
Ita enim scribit: *Quia in Scriptura, que cononica est, nullum prorsus  
extat perfficum, expressum & certum testimonium de Sanctis, qui ex  
hac vita discesserunt, orantibus in altero seculo pro Ecclesia militante,  
cum alias Apoc. Johanna multa & varia de statu beatorum in altera  
vita ostendat, urgeri illud pro indubitato & necessario fidei articulo nec  
debet, nec potest, sed sint & maneant cogitationes nec male nec impiæ.*  
Idem de nostra hac meditatione dicamus: sunt & maneant co-  
gitationes hæc nostræ NEC MALE, NEC IMPIÆ.

## §. XXIII.

Objicies porro: Assertum proposita quæstionis saltem  
occasionem præbere invocationi religiosæ sanctorum. Respon-  
detur, Prorsus hoc esse ἀναρόλας θορ. Quod enim, inquit DN,  
Præses meus in Progr. istud est consequentie idolum: *Sancti in cœli  
ab aliis vel sanctis, vel angelis aliquando intelligunt, quid à vivis aga-  
tur in terris, ergo à vivis sunt vel adoranti, vel invocanti?* Quis  
ferat ita argumentantem: Thomas Cajetanus dum Auguste Vindelicorum  
versabatur, partim per epistolas Roma ad ipsum missas, partim per  
homines Roma Augustam proficiscentes, cognovit, quid rerum Leo X.  
Roma gereret, ergo à Leone X. vel adorari debuit, vel invocari?  
Tutitus Lipsie bonis literis navans operam per amicos Rostochio subinde  
Lipsiam venientes, per nuntios publicos resciscit, quid Sempronius Ro-  
stochio

86 (37) 50

*stochii agat, quibus prematur fatis, qua cum pauperitate luctetur;  
Ergo Titius à Sempronio quasi presens à presente compellari rogarique  
ore & conceptis precibus debet, ut causam suam apud Senatum prome-  
uat, succurratque ipsius necessitati;*

§. XXIV.

Angustia spatii prolixius in argumento hactenus ventilato progrederi nos prohibet. Adeoque sub finem diuersitatum culæ concludimus verbis ex mensibus Reserv. I. c. p. 4. 4. *Si queratur: Ubi nam hoc scriptum & revelatum sit, Sanctos pro amicis etiam speciatim interpellare apud DEum? addimus nos, curam qualis-  
cunque habere terrestrium, atque piissime de superstitionibus in  
celo conferre; Respondemus, non opus esse revelatione (disserta &  
expresa) cum nemini hoc obtrudatur dogma, quod hic defenditur,  
qui que ad salutem minimè necessarium, Nam multa creduntur, que  
absolutè scitu & creditu ad salutem necessaria non sunt, quamvis suo alias  
nutantur genuino fundamento. Inter ea quorundam Theologorum  
persuasio, erroris cuiusdam, quid ad infernum precipitet, qui que  
salute excludat, damnata non erit. Persuasi insuper sumus fir-  
miter, materiam hanc, quam argumentis usi, ex fidei nostræ &  
doctrinæ purioris analogia desumti, adeoque longè probabi-  
lisimis, excussumus, (judicio fulgidissimi cuiusdam Theologi,  
quem Deus in Ecclesiæ Patriæ solatium ad seros usque annos fer-  
vet in columem) saltum apud eos, quorum ambulatio in cælis est &  
piæ voluptas ea meditandi, que in cælo sunt, aliquem omnino locum &  
favorem inventuram esse. Fauxit Clementissimum Numen, ut ea  
quaeramus, quæ in cælis sunt, ubi Christus est, sedens ad Dex-  
tram Dei donec aliquando & nos eò delati in quotidiano  
cum Deo, sanctisque angelis & beatis aspectu & col-  
loquio ea ipsis oculis nostris videamus,  
qua nunc in speculo  
cognoscimus.*

86 (0) 50


**N**on satis est vixisse diu, Musisq; sacratis  
Invigilasse, simul perpetuo studiō  
Ingenuum ingenuas animum exco-  
luisse per artes,  
Atque etiam doctis se poluisse libris:  
Ni quoque quid valeant humeri quid ferre re-  
cusent,  
Artibus inquirat, qui vacat ingenuis.  
Hæc animo volvens Schilbergi tradere tentas  
Ingenii specimen, Praeside sub celebri.  
Perge igitur, da plura Tui documenta capacis  
Ingenii: dabit & præmia certa Deus.

Ita Clariss. Domino Respond. AUCTORI  
haud personato, appl.

J. N. QVISTORP. D.











8.


22967



Rehra

V017







6

MODERANTE SALVATORE GRATIOSISSIMO!

# QVÆSTIO:

AN MORIBUNDIS COMMITTI QVEAT,  
UT PRIDEM DEFUNCTIS AMICORUM SUPERSTITUM  
NOMINE SALUTEM NUNTIENT?

h. e.

*Ob man denen Sterbenden einen Gruß  
an gute Freunde im ewigen Leben  
können mitgeben?*

QUAM DISSERTATIONE THEOL. CIRCULARI,  
*INDULTU MAXIME VENERABILIS FACULTATIS THEOLOGICÆ*

## SUB UMBONE

VIRI SUMME REVERENDI ATQUE EXCELLENTISSIMI

### DN. JOHANNIS FECHTII,

S. S. THEOL. D. AC ORDINIS THEOLOGICI SE-  
NIORIS LONGE CELEBERRIMI, CONSIST. DUCAL.  
MEKELB. ASSESS. GRAVISSIMI ET DIOECES.  
ROSTOCH. SUPERINT. VIGILANTISSIMI,

DN. PATRONI ATQUE PROMOTORIS

STUDIORUM SUORUM OBSERVANTISSIME DEVENERANDI,  
IN INCLYTÆ ALMÆ ROSTOCH.

### AUDITORIO MAJORI,

D. XXI. AUGUSTI, MDCCVI.

AD PLACIDAM SENTENTIARUM COLLATIONEM  
EAMQ. PUBLICAM EXPONIT

### MICHAEL SCHILBERG, GEDAN.

ROSTOCHI, TYPIS JOH. VVEPPINGI, SER. PRINC. & ACAD. TYP.